

que res apta est vel inepta ad agendum, ut vires herbarum, gemmarum. Huc pertinet etiam peccatum illud, quod pravam concupiscentiam Theologi vocant, quâ proclives ad malum naturâ sumus, & inepti ad bonum.

5 *Qualitas patibilis est, quæ partim passionis circa sensus est effectrix (unde & efficiens dicitur) partim à passione oritur.*

Sic dulcedo mellis, amaritudo aloës, dicitur patibilis qualitas, quia passionem efficit in sensu. Sed colores hominis dicuntur qualitates patibiles, quia oriuntur à passione; ut pallor ex morbo, nigror ex adustione Solis. Hoc accipe de coloribus inductis, ut ajunt, non de nativis. Huc pertinent affectus, ut iracundia, misericordia: item frigus, calor, humiditas, siccitas, raritas, densitas, sapor, odor, color, sonus. Affectus tamen alio modo referuntur ad prædicamentum passionis. Nam affectus consideratur, vel quatenus efficit in homine perturbationem, vel quatenus est ipsa passio.

6 *Figura propriè tribuitur rebus artificialibus, ut circulo, quadrato; forma rebus animatis, ut equo, bovi.*

*Fortunatus Crellius in isag. Logic.* Pertinent igitur huc omnes figuræ mathematicæ, omnes externæ rerum formæ, & iccirco omnes res artificiales, ut testudo, olla, pulpitum &c. His enim rebus ars nihil aliud confert, quàm figuram.

7 *Summum seu ultimum hujus prædicamenti genus est qualitas, sive simplex illa omnibus qualitatibus communis natura, complectens sub se quatuor illas celebres & modo enumeratas species.*

Est autem genus analogicum: quia non æqualiter tribuitur habitui & dispositioni; nec æqualiter habitui animi & corporis, qualis est sanitas vel morbus.

8 *Habitus, potentia, patibilis qualitas, & figura, sunt species subalternæ respectu summi generis; genera respectu inferiorum.*

R 4